

179. 555.

Vel in Natura miracula ostentans
Vix floruit, fructum dedit:
Noyo prodigio,
Vbi factum Æquinoctium fuit,
Autumnum conjunxit cum Vere.

Quamvis Æstas credi potuerit,
Quando Sole in Libra Oriente,
Luna occidit in Leone.

Ætate parvula ad æquales Abijt,
Vbi nemo major nisi Minimi.

Infans Vocabat non bene balbâ lingvâ *Matrem*
Surda Parca rata est audire *Mortem*:

Hæc cunas agitare, quæ venit, Invertit:

Et è cunis, arreptâ *Asciâ*, fecit Sepulchrum.

Illa Spiritum ubi accepit, reddidit:

Hæc Corpus *Terræ Scephusienfi* mandavit.

Primum illi beneficium a Matre nasci,

Proximum à Morte denasci.

Viator miraris?

CRUCEM huic Tumulo præfixam dum non vides?

In Tumulo sepulta jacet.

Tu quoque quamvis centum annorum Puer sis
sequere.

C. C. C.

posuimq̃

F I N I S.



terris, Alboq; simillima

1140
3

O R V O;

sive

C GENEROSUS DOMINUS

MUNDUS

D L L O

de KROMPACH,

VINORUM Stirpe progeneri-

æ Regiæq; Majestatis Aulæ

Inclytarū Hungariæ & Sce-

rum Consiliarius, ob eximia

cutum decora inter rariores

roës merito numerandus:

cujus

s, in Capitulari Basilica Sce-

er celebratas, hac dictione

gyricâ exornavit

ANUS RENYES,

cietate Jesu.

ANNO

Clr Ca StrigonIVM profLI-

VI-VárInensis reCepta.

; Typis Samuelis Brever.

Vel in Natura miracula ostentans

Vix floruit, fructum dedit:

Noyo prodigio,

Vbi factum *Æquinoctium* fuit,

Autumnum conjunxit cum Vere.

Quamvis *Æstas* credi potuerit,

Quando Sole in *Libra* Oriente,

Luna occidit in *Leone*.

Ætate parvula ad æquales Abijt,

Vbi nemo major nisi Minimi.

Infans Vocabat non bene balbâ lingvâ *Matrem*

Surda Parca rata est audire *Mortem*:

Hæc cunas agitare, quæ venit, Invertit:

Et è cunis, arreptâ *Asciâ*, fecit Sepulchrum.

Illa Spiritum ubi accepit, reddidit:

Hæc Corpus *Terræ Scepusiensis* mandavit,

Primum illi beneficium a *Matre* nasci,

Proximum à *Morte* denasci.

Viator miraris?

CRUCEM huic Tumulo præfixam dum non vides?

In Tumulo sepulta jacet.

Tu quoque quamvis centum annorum Puer sis

sequere.

C. C. C.

posuitq̃

F I N I S.

Rara Avis in terris, Alboq; fimillima
CORVO;

sive

SPECTABILIS, ac GENEROSUS DOMINUS

SIGISMUNDUS

H O L L O

Senior, de KROMPACH,

ex Vetusta CORVINORUM Stirpe progeni-
tus, Sacræ Cæsareæ Regiæq; Majestatis Aulæ
Familiaris, nec non Inclytarū Hungariæ & Sce-
pusiensis Camerarum Consiliarius, ob eximia
Heroicarum Virtutum decora inter rariores
Hungariæ Heroës meritò numerandus:

cujus

Funebres Exequias, in Capitulari Basilica Sce-
pusiensi solenniter celebratas, hac dictione
Panegyricā exornavit

P. STEPHANUS RENYES,
è Societate JESU.

ANNO

MDCCICa potentia Circa Strigonium profli-
gata, arCisq; Ve VI-VárInensis reCepta.

LEUTSCHOVIAE, Typis Samuelis Brever.

Explicatio Gentilitiorum
SPECTABILIS, ac GENEROSI
DOMINI
SIGISMUNDI HOLLO
Insignium, in quibus LEO, AQVILA,
CRUX, CORVUS, & ANNULUS
pinguntur.

ANNULUS, & CORVUS, LEO, CRUX, AQVILEq; VOLAN-
SYMBOLA sunt, factis clarificata meis. (TES,
Ad CORVI senium Regi, Patriæq; DEOq;
In CRUCIBUS multis obsequiosus eram.
Cæsareis AQVILIS constanti mente fidelis,
Et LEO contra hostes, REX LEOPOLDE, Tuos.
Hinc mea Pannonicum rutilavit fama per Orbem,
ANNULUS in digitis ceu rutilare solet.





La Vs SIgIs MVnDI HO LLo sen Ior Is, e X
antIq Va stI rpe genItI herO Is.

SI amarum exulceratæ mentis dolo-
rem ex inflicti vulneris acerbitate, &
thesauri per crudelem Libitinæ Ty-
rannidem nobis erepti magnitudine
metiri deberemus; dignum sanè, ac justum esset,
ut omnes, qui ad funestam hodiernarum exequia-
rum pompam confluximus, ex oculis lachrymas,
ex corde gemitus, ex ore lamenta profunderemus.
Eum enim (proh dolor!) amisimus Heroëm, qui
gloriosa Majorum suorum facinora æmulatus,
vitam omnem promovendis Christianæ Reipu-
blicæ commodis laudabiliter impendit. Amisi-
mus Heroëm, antiquæ Nobilitatis profapiâ cla-
rum, sapientiâ celebrem, Deo charum, Regibus
fidelem, Regno utilem, omnigenis Gratix ac Na-
turæ dotibus exornatum. Amisimus pretiosam
Patriæ Gemmam, cis-Tibiscanorum Comitatu-
um pupillam, Orthodoxæ Religionis fulcrum, af-
flictorum solatium, oppressorum scutum, vidua-
rum & orphanorum asylum. Amisimus Patrem

pauperum, Mecœnatem Scholarum, Zelatorem
Justitiæ, Defensorem Fidei, Pietatis Promotorem.
Quæ omnia justissimam nobis, eamq; uberrimam
suppeditare possent dolendi, ac lachrymandi mate-
riem; si dolori frœna laxare, & damna, quæ amisso
tanto Heroë incurrimus, lachrymis prosequi de-
beremus. Verùm, si animo altiùs erecto optatif-
simam amissi Herois felicitatem, & Gloriam
apud Posterios immortaliter victuram attenda-
mus; sistemus intempestiva lachrymarum pro-
profluvia: quando eum, quem defunctum lachry-
mamur, etiamnum inter vivos superstitem repe-
riemus. Licèt enim ex inevitabili Numinis de-
creto mortalem corporis vitam exuerit; *Parte
tamen meliore sui per sæcula vivet.* Vivet quippe be-
ata illius anima in Cœlesti Paradiso, ubi gaudium
nunquam decrescit, ubi sanitas nunquam marce-
scit, ubi vita terminum nescit. Vivet gloriosum
ejus Nomen in lapide monumentali, cui inscul-
ptum; in vexillo sepulchrali, cui inscriptum; in
Libris Panegyricis, quibus impressum, immorta-
lem sui memoriam pollicetur. Exeste proinde im-
portuni luctus, & lachrymæ; non enim obivit, sed
ad vitam meliorem abivit Inclytus Heros SIGIS-
MUNDUS. Abivit post labores exantiatos ad
quietem, post cursum consummatum ad bravi-
um,

um, post certamina depugnata ad Coronam.
Transiit de exilio ad Patriam; emerfit de fluctibus ad portum; evolavit de carcere ad libertatem; ascendit de valle miseriarum ad colles æternorum gaudiorum. Ita me sperare jubent eximia Heroicarum virtutum decora, quibus ille inter superioris Hungariæ Nobiles eminuit velut Lilium inter flores, emicuit velut Sol inter Planetas. Quare non inquietabo beatos ejus Manes lamentis, sed prosequar laudibus; non rigabo tumbam lachrymis, sed inspergam floribus; non contexam pro exequiis Epicœdiū, sed adornabo Panegyrim, cujus fronti hanc Epigraphen inscribo: SIGISMUNDUS HOLLO SENIOR, RARA AVIS IN TERRIS, ALBOq; SIMILLIMA CORVO.

Animadvertitis, ut opinor, sub schemate CORVI ALBI, qui inter aves raritatis prodigium censetur, eò meam collimare dictionem; ut Panegyrico eloquentiæ penicillo depingat Heroem, cognomento Hungarico CORVIS affinem, venerandâ senectutis canitie albicantem, & ob facta illustria rarioribus Hungariæ Heroibus meritò annumerandum. Quod ne ad aucupandam potiùs benevolentiam ex adulatione fictum, quàm ad fidem faciendam cum veritate dictum existimetis; dicite, amabo, cuinam Viro gloriosum HEROIS

Titulum dignè attribuendum judicatis? Eligētis,
nī fallor, illum, in quo profapia nobilitas, nobili-
tatem sapientia, sapientiam virtus illustrat. De-
signabitis illum, qui religione erga DEUM, fide-
litate erga Cæsarem, charitate erga Patriam reful-
get. Destinabitis illum, qui, dum tacet, salubria
meditatur consilia; dum loquitur, facunda fundit
oracula; dum operatur, actiones perennalibus fa-
ctis dignas exercet. Commendabitis illum, cu-
jus nec magnanimitatem pericula terrent, nec pa-
tientiam adversitates frangunt, nec fortitudinem
persecutiones labefactant. Laudabitis illum, qui,
ut publicum bonum procuret, privata commoda
negligit; ut Patriæ necessitatibus subveniat, pro-
prium ærarium exhaurit; ut onera Regni alleviet,
suos humeros onerosis laboribus promptè supponit.
Desiderabitis illum, cujus consilio, & indu-
striâ administratur in tribunalibus justitia, promo-
vetur in templis devotio, pax & concordia in Civi-
tatibus conservatur. Expetetis deniq; illum,
quem ob functiones publicas præclarè gestas fa-
vorem prosequantur Principes, privilegiis dotent
Cæsares, Officiis honorificis Reges exornent.
Quæ omnia ubi tandem in unam INCLYTI
HEROIS Effigiem collegistis, Seniores SIGIS-
MUNDUM HOLLO lineamentis vivacibus de-
pin-

pinxistis. Eum enim & sanguinis claritudo Nobilem, & sapientiae fulgor illustrem, & virtutum ornamenta reddere pretiosum. Non produco hic ego gratiosas Augustissimi Imperatoris LEOPOLDI Donationales, in quibus antiqua HOLLOIANÆ Familiae Nobilitas iteratò confirmatur, & novis honoribus, praerogativis, ac libertatibus exornatur. Non allego authenticum Serenissimi Poloniarum Regis MICHAELIS Diploma, in quo Stirps HOLLOIANA ex Illustri, ac pervetusto CORVINORUM Stemmata progerminasse affirmatur. Non excito de sepulchris Maternos, & Paternos defuncti SIGISMUNDI Avos, qui, testantibus Cæsareis Donationalibus, *antiqui, veri, & indubitati Ungariae Nobiles, Principibus suis, Patriaq; utiles, & chari fuerunt.* Non revoco in memoriam laudatissimum ejus Genitorem, MATHIAM HOLLO, de quo Augustissimus Cæsareis calamus tale scripsit Encomium: *Parens Tuus MATHIAS HOLLO, cum aliàs olim, tum potissimum in funestis seditionibus, per Principem Bethlen temerè suscitatis, in quibus multi Regnicolarum à fide, & fidelitatis constantia, DEO, ac Majestati nostra, tanquam legitimo, & Coronato Hungariae Regi obstricta leviter desciverunt, & deflexerunt; ipse tamen non curatis gravibus & ingentibus damnis,*

*mnis, per adversarios & rebelles eidem allatis, sed nec
vita ipsius discrimen formidans, Avita Fidelitatis be-
nè memor, non solum in debito obsequio, & devotione
Nostra inviolabiliter perstitisse, verum etiam varia
officiorum Legationum, & Commissionum munia fe-
liciter & utiliter per plurimos annos obeundo, Augu-
stissima Domui Nostræ Austriacæ, ac Inclytis Hunga-
riæ Regibus, Prædecessoribus Nostris exhibuisse, &
impendisse perhibetur. Secutus est gloriosa Geni-
toris vestigia SIGISMUNDUS Noster, exem-
plo suo ostendens, fortes creari fortibus, & ab A-
quilis imbelles Columbas non generari. Testan-
tur id officia laboriosa, quæ summa cum laude
gessit: sive cùm Sztropkoviensem, Leutschovien-
sem, & Eperiesiensem Tricesimas administraret;
sive, cùm in superiori Hungaria Proventuum
Cæsareorum Præceptorem, & Bellicum Solutorem
ageret; sive demùm, cùm ad Cameratici
Consiliarii Dignitatem evectus, onerosa Regni
negotia tractaret. Testantur arduæ legationes,
quas nomine Augustissimi Imperatoris FERDI-
NANDI TERTII binis vicibus in Poloniam sus-
cepit, & propriis expensis honorificè perfecit.
Testatur invictissimus Cæsar LEOPOLDUS,
qui eum, privilegio raris Nobilibus conferri solito,
AULÆ SUX FAMILIAREM creavit, in Donati-*
ona-

onalibus Cæsareis tale ipsi contexendo Elogium:
Virtutes, & merita, rectaq; actiones tua, atq; fidelia
Servitia, & obsequia inde ab ineunte etate tua Sacra
cum primis Regni nostri Hungaria Corona, Augustaq;
Domui Nostræ Austriacæ, & consequenter Majestati
quoq; Nostræ, cum alijs, tum potissimum in diversis
functionibus, Commissionibusq;, fidelitati atq; dexte-
ritati tuæ concreditis, simul etiam certis Legationibus
in Poloniam gestis, & laudabiliter peractis, de quibus
apud Majestatem Nostram certorum Fidelium no-
strorum fide digno Testimonio commendaris, Nos in-
ducunt, ut Te congruo prosequamur, Personamq; tuam
condigno ornemus favore, atq; honore. Te igitur **SIGISMUNDUM HOLLO**, de Krompach, horum
intuitu in **AULÆ Nostræ FAMILIAREM** as-
sumpsimus, & ex certa nostra scientia, animoq; deli-
berato, deq; Cæsarea, & Regiæ Nostræ potestatis pleni-
tudine, in numerum & Cætum Familiarium Nostro-
rum Aulicorum, annumeravimus, & adscripsimus,
ac ab omnibus, cujuscunq; Dignitatis, Conditionis, &
Præminentia Homines existant, Te **SIGISMUN-
DUM HOLLO** talem dici, nominari, haberi, &
reputari volumus. Decernentes & statuentes, atq;
per expressum declarantes, ut Tu, **SIGISMUNDE
HOLLO** à modò imposteriorum universis & singulis illis

juribus, libertatibus, immunitatibus, honoribus, privilegiis, gratiis, & indulgiis, quibus ceteri Aula Nostra Familiares quomodolibet de jure, vel consuetudine utuntur, & gaudent, semper, & ubiq; locorum, intra & extra Aulam, & Ditionem Nostram uti, & gaudere possis. Et profectò merebatur tam insigne Præmium Heroica SIGISMUNDI Fidelitas, in variis occasionibus oppugnata, nunquam tamen expugnata. Viget adhuc in multorū memoria intestinus ille turbo, quem Senior Rakoczius, ambitionis cestro stimulatus, in Regni viscerib9 excitaverat. Eruperat in Hungariam funesta Transylvanici furoris tempestas; serpebat per Comitatus viperinum rebellionis virus; insurrexerant contra Domum Austriacam; Regnicolæ; Civitates, & Arces à Fidelitate legitimi Regis avulsæ violentis Possessoribus homagium præstabant. Vidissetis inter istos turbulentæ commotionis fluctus, immobilem SIGISMUNDI HOLLO Constantiam, quam Factio Rakocziana nullo astu subvertere, nullis machinis inflectere, nullâ violentiâ potuit labefactare. Alliciebatur blanditiis; sed blanditias contempsit: terrebatur minis; sed minas irrisit: lactabatur promissis; sed promissa flocci fecit. Itur ergò ad extrema crudelitatis

media,

media, captivatur innocens SIGISMUNDUS, compingitur in vincula, raptatur ad Aulicum Tribunal, à Principe Rakoczio ad mortem condemnatur. Stetit ille ad Carnificis præsentiam intrepidus, & imperterritus vultu ad Principem conversus: *Frustra, inquit, mecum laborat Celsitudo Vestra; Fidem enim, quam Casari semel dedi, nunquam mihi extorquebit. Malo honestè mori, quàm rebellionis notâ scædatus ignominiosè vivere. Gloriosi Majores mei erga Domum Austriacam semper erant Fideles; neq; ego ab eorum vestigiis declinabo.* O invictam generosissimi Herois constantiam! O rarum ergà Principes Austriacos Fidelitatis Prodigium! quod utinam tot haberet in Hungaria imitatores, quot habet admiratores! Hanc Inclyti Herois Fidelitatem ut uberiùs intelligatis, recordemini calamitosi illius temporis, quo Junior Princeps Rakoczius, Machiavellisticis inquietorum capitum consiliis infascinatus, contra Cæsarem arma levaverat. Subjugata jam erat Arx Patakienfis, captivati Officiales Cæsarei, fortalium Thokaiense occupatum. Grassabantur, Confinarij milites, tumultuabantur cis-Tibiscani populi, Cassovia occultis cuniculis ad deditio- nem sollicitabatur. Desperatum omnind erat,

de conservatione Civitatis, nisi Divina providentia SIGISMUNDUM HOLLO in Atlantem, elegisset, cujus humeris nutantes Cassovienfium animi fulcirentur. Ille unus, Officialibus aliis absentibus, universa Generalatûs, & Camerae onera supportavit; ille noctu stationes militares obivit; ille portas fortioribus excubiis munivit; ille Cives trepidantes animavit; ille Nobiles consiliis direxit; ille Urbem in Cæsaris Fidelitate conservavit. Magna sunt hæc Fidelitatis HOLLOIANÆ Specimina; sed his longè majora patefecit Rebellio Thököliana. Quis valeat explicare, damna, quibus ille post occupatam à Rebellibus Cassoviam affectus; persecutiones, quibus vexatus; contumelias, quibus proscissus; injurias, quibus est laceffitus. Spoliabantur ejus domus, diripiebantur opes, confiscabantur subditi, vastabantur pagi, cellaria & horrea evacuabantur. Quid ages in talibus angustiis constitute, Spectabilis HEROS, SIGISMUNDE? Si Rebellibus non adhæreas, in exilium proscribêris, periculo vitam expones, omnia bona amittes. Si à Cæsaris Fidelitate resilias, conscientiam vulnerabis, DEum offendes, HOLLOIANÆ Familix Gloriam obscurabis. *Procul, inquit, procul à me, vel sola Rebellionis amplectenda cogitatio. Pereant bona, modò maneat integra fama,*

fama, & illa conscientia. Non sum indolis rustica
na, ut præferam utilia honestis; nec tam hebes, ut tem-
poralia pluris æstimem, quàm aeterna. Pudor esset, si
degener **CORVINORUM** Nepos *Avitæ* Fidelitati
notam inurerem, & splendorem Nominis, quem in
Juventute apud *Aulam Cæsaream* obtinui, in Senectute
obfuscarem. Prius ergo mortis victima cadam,
quàm per vitium infidelitatis, vel honori meo labem
inspergam, vel animæ vulnus infligam. Quàm ge-
nerosè **SIGISMUNDUS** ista dixit, tam gloriosè
factis implevit; quando bonis omnibus pro Cæ-
sare **LEOPOLDO** relictis, in exilium spontè se-
cessit, ibiq; variis confectus ærumnis, post quin-
quaginta annos in obsequiis Augustissimæ Domûs
Austriacæ fideliter transactos, vitam septuaginta
quatuor annis longiorem laudabili morte conclu-
sit. **ORARAM** in terris, præsertim Hungaricis,
AVEM! **ALBO CORVO** vel exinde similli-
mam, quod eam albus canitie color, & Corvis
propria ætas longæva fecerint pretiosam. Ve-
rùm, ne videar universas defuncti Herois virtutes
intra unius Fidelitatis cancellos coarctasse; ad ali-
as ejus dotes Panegyrim promoveo, quas si Artis
pictoriæ beneficio symbolicè adumbrare vellem,
ex Gentilitiis **HOLLOIANÆ** Familiæ Insigni-

bus aptissima Symbola desumere possem. Pingat
itaq; Apelles **AQUILAM** in sublimi aëris regione
volantem, & perspicaci oculorum acie undequa-
que omnia perlustrantem: dicam ego, hoc Sym-
bolo adumbrari sublimem **SIGISMUNDI HOL-
LO** sapientiam, quæ perspicacibus ingenii oculis
respiciet præterita, inspiciebat præsentia, futu-
ra prospiciebat. Pingat Zeuxis **LEONEM**, im-
portunos Canum latratus magnanimâ generosi-
tate despicientem: dicam ego hoc Symbolo desi-
gnari magnanimitatem **SIGISMUNDI HOL-
LO**, qui caninam detractoriarum lingvarum ra-
biem generosè contempsit. Pingat Timanthes
CRUCEM HISPANICAM tempestates aëreas
tranquillantem: dicam ego, hoc Symbolo ex-
primitur pacificam **SIGISMUNDI HOLLO** Indo-
lem, quæ in tranquillandis discordium animorum
tumultibus singulari pollebat dexteritate. Pingat
deniq; Parrhasius **ANNULUM** Sponsalitiū, pre-
tiosis adamantibus rutilantem: dicam ego, hoc
Symbolo denotari Animã **SIGISMUNDI HOL-
LO**, Heroicarum virtutum radiis fulgentem,
quam Cœlestis Animarum Sponsus pretioso Ca-
tholicæ Fidei Annulo ad æternam salutem de-
sponsavit. Quam ille Fidem in Homonnensi olim

Societatis Jesu Gymnasio imbibitam constantissimè semper retinuit, devotissimè coluit, zelosissimè promovit. Audivistis ex hesternâ Panegyri Hungaricâ admirandam illius Conversionem, quâ desertis Lutheri castris, sub Vexillum Romanæ Religionis convolavit. Audivistis, qualiter obstinatam Heterodoxi Parentis duritiem constantiâ emolliverit, crudelitatem patientiâ fregerit, furorem mansuetudine cicurârit. Audivistis, quàm feliciter duos Augustanæ Confessionis Ministros, qui eum ad viam erroneam reducere nitebantur, ex errorum Labyrintho extricaverit. Audivistis deniq; quàm zelosè Avitum Orthodoxæ Pietatis exercitium in Civitate Eperiesiensi restauraverit, Catholicum introducendo Sacerdotem, cujus labore fementis Evangelica, à Zizaniis jam penè suffocata refloresceret, ac multarum animarum Messem progerminaret. Subticerem hîc ego, si absque injuria subticere possem, ferventissimam SIGISMUNDI Devotionem, quam in religioso Numinis, ac Cœlitum cultu signis plurimis contestatam reliquit. In hunc scopum collimabant frequentes conscientix exomologeses, ignita ad Christum Crucifixum suspiria, precatorii libri, quotidiano usu, ac familiaribus osculis attriti,

triti. Ex hoc fonte promanabat infatiabilis audien-
dendarum Concionum, ac Missarum aviditas, &
humillimæ geniculationes, quibus DEUM Eu-
charistici panis tegmine velatum adorabat. Hinc
ebulliebat tenerrimus erga Virginem DEI param
affectus, quam filiali amore prosequabatur, ut
Matrem; servilibus obsequiis honorabat, ut Do-
minam; clientelari fiduciâ invocabat, ut Patro-
nam. Quid dicam de munifica illius liberalitate,
quâ recreabat infirmos, sublevabat egenos, ad-
juvabat viduas, vestiebat pupillos, Religiosas
Familias nutrebat? Quid commemorem pro-
fusas in Altarium, ac Templorum ornamenta,
divitias, quarum expensis hæc ipsa, in qua sto,
elegans Cathedra; illa ipsa, in quibus confiditis,
gratiosa subsellia, opere Phidiaco sunt elabora-
ta? Quid loquar de literario Convictu Scepu-
fensi, in quo teneriores Minervæ pullos multis
annis liberali victu aluit Musarum amantissi-
mus, & vel ipso Nominis Anagrammatismo
comprobante, MUSIS DIGNUS SIGIS-
MUNDUS. Non miror jam, quòd Heroëm
tot virtutum prærogativis Insignem amaverit,
Austria, honoraverit Hungaria, suspexerit,
Transylvania, & Serenissima Polonorum Ref-

publica

publica tanti æstimârit; ut ei lectissimam antiquissimæ, & illustrissimæ Stirpis Virginem, SOPHIAM OSZOLINSKIANAM in Matrimonium copulârit. Decebat nempe, ut HEROI conjungeretur HEROINA; neque alibi dignius collocari poterat pretiosa Poloniæ GEMMA, quam in Gentilitio CORVINÆ Stirpis ANNULO, quem Augustissimi Romanorum Imperatores in Digito Cæsarei Favoris *Indice* gestare consueverunt. Utinam Fata indulgissent, ut ANNVLVS tam pretiosus GEMMÆ suæ etiamnum conjunctus à nobis cerneretur! haberemus utique solatia, quæ animos HOLLOIANÆ Familiæ addictos liquidissimo voluptatis sensu perfunderent. At eheu! quid video? Atrox Libitina, quæ ante triennium GEMMAM ANNULI CORVINIANI excusserat, præterito Mense Aprili ANNVLVM ipsum confregit. Squalent ex-tunc obscurata HOLLOIANI Stemmatibus Insignia, prostratus jacet LEO, transfixa mortis telo AQVILA. Sola nobis infelici-

C

bus

bus CRVX relicta; quæ, quia doloris Sym-
bolum est, amantium cordibus acutissimos
dolorum clavos infigit. Erravi! date veni-
am, Auditores. Meminisse debueram, quod
sub initium dictionis lamenta & luctus à Pa-
negyri mea proscripserim. Absit ergo, ut
lugeam, ut lamenter, ut ingemiscam. Dam-
na enim, quæ Domui HOLLOIANÆ
per mortem SIGISMUNDI illata sunt,
æternitas beata cum fœnore multiplici re-
compensat. Vivit ibi cum LEONE de
TRIBU JUDA LEO HOLLOIANVS,
ad Zodiacum sempiternæ Lucis translatus:
vivit CORVUS, deposito nigrore in can-
didam Columbam transmutatus: vivit A-
QVILA in nido imperturbabilis tranquil-
litatis collocata: vivit CRVX in Paradisum
Deliciarum transplantata: vivit GEMMA
ad Coronam immarcescibilis Gloriæ transpo-
sita: vivit ANNVLVS Cœlestis Sponsi Di-
gito insertus: vivit, ut compendio dicam
omnia, vivit in Cœlis chara, quæ in terris
RARA AVIS erat, SPECTABILIS,

ac GENEROSVS DOMINVS, SIGIS-
MVNDVS HOLLO; qui ut in Nostra
quoque memoria immortaliter vivat, sequens
Epitaphium ex Chronographicis moderni
anni contextum Tumulo ejus appendo:

In hVIVs tVMVLI Vrna DeposItVs
IaCet

SIgIsMVnDVs HoLLO SenIor, Inter Vete-
res HVngarlæ NobILes sangVIne
InsIgnIs;

PerpetVVs, aC Integre fIDeLIssIMVs
AVstrlæ SerVVs;

Patrlæ sVæ VtILIs, ac Vero NVMIInI
DeVotVs;

In CVLtV AVgVstæ Del ParentIs fer-
VentIssIMVs;

In paVperes MVnIfICVs; In orthoDoXa
pletate zeLosVs;

oMnIbVs DenIqVe VIRTvtIbVs HeroICè
refVLgens:

QVI In seneCtVte LaVDabILI, aC Deo
Chara plé obIVIt CraCoVlæ 9â
AprILIs.

Insignia Nobilitatis
 Antiqua Domus
 Vltimaque
 Holvander



ANNVLVS, & CORVVS, LEO, CRVX, ALVILÆ q̄ VOLantes,
 Symbola sunt, factis clarificata meis.
 Ad CORVVS senium, Regi, & DEO q̄,
 In CRVXIBVS multis obsequiosus erat.
 Casareis ALVILIS constanti mente fidelis,
 Et LEO contra hostes, REX LEO PL DE, tuos.
 Hinc mea Pannonicum, rutilavit fama per Orbem,
 ANNVLVS in digitis ceu rutilare solet.

de GENTIBUS DOMINVS . SIGIS .

LEONARDVS ROLLO . qui in Africa

de rege moribus et consuetudinibus

et rationibus et historiis et geographiis

et aliis rebus et personis et

in huiusmodi rebus et personis

et aliis rebus et personis et

et aliis rebus et personis et

et aliis rebus et personis et

et aliis rebus et personis et

et aliis rebus et personis et

et aliis rebus et personis et

et aliis rebus et personis et

et aliis rebus et personis et

et aliis rebus et personis et

et aliis rebus et personis et

et aliis rebus et personis et

et aliis rebus et personis et

et aliis rebus et personis et

et aliis rebus et personis et

et aliis rebus et personis et

Handwritten marginal notes in a Gothic script, likely a table of contents or index, listing various entries with corresponding page numbers.


Blue
 Cyan
 Green
 Yellow
 Red
 Magenta
 White
 3/Color
 Black

TIPPEN® Color Control Patches
 © The Tiffen Company, 2007

Centimetres
 1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19



VS, & CORVUS, LEO, CRUX, ARVILÆ q̄ VOLantes,
 ymbola sunt, factis clarificata meis.
 senium, Regi, ... DEOq̄,
 n CRVCIBVS multis obsequiosus eran...
 ARVILAS constanti mente fidelis,
 Et LEO contra hostes, REX LEO PL DE, tuos.
 a Pannonicum, rutilavit fama per Orbem,
 INNVLVS in digitis ceu rutilare solet.



ORATIO FVNEBRIS,

SUPER OBITUM

Generosi, Nobilissimiq; Domini,

DANIELIS GVTH,

Celsissimo PRINCIPI, ac Partium Regni
Hungariæ Domino, DOMINO

EMERICO THÖKÖLY,

à CONSILIIS INTIMIS;

Illustris Collegii Statûs Evangelici

Eperienfis INSPECTORIS meritissimi;

Liberae, Regiæq; Civitatis BARTHPHENSIS

JVDICIS Primarii:

IN FREQUENTI AUDITORUM

PANEGYRI

DICTA

GEORG. HENRICO SAPPVHN,

Orator. Publ. Professore.

Anno M. DC. LXXXIV.

Die 5. Mensis Martii.



CASSOVIAE,

EXCVDEBAT STEPHANVS BOSYTZ.

